



1647.

1. Moebius, Gualterus: De phrenitide.
2. Richter, Christophorus Philippus: Expositio auth. habita
C. de filiis pro patre.
3. Richter, Christophorus Philippus: De Tutelis.
4. Richter, Christophorus Philippus: De remediis processu-
riis, et interdiciis competentibus.
5. Richter, Christophorus Philippus: De jure retentionis.
6. Schelhamerus, Christophorus: De phthisi.
7. Schelhamerus, Christophorus: De peripneumonia.
8. Schelhamerus, Christophorus: De angina.
9. Stuve, Georg Adam: De jurisdictione, in jus vocando,
et in eo, satisfactionibus, penis et dilationibus.

1648.

1. Moebius, Gualterus: De mania seu insania.
2. Richter, Christophorus Philippus: De collectis.
3. Richter, Christophorus Philippus: De constitutione febris.

1648

4. Richter, Christophorus Philippus: De jurisdictione.
5. Polpinck, Wernerus: De scorbato.
6. Stuve, Georg Adamus: De successore obligato vel libero.
7. Thomas, Johannes: De prodigo.
8. Thomas, Johannes: De occupatione bellica.
9. Ungepaw, Erasmus: De jure principum in privilegiis.
10. Unrath, Joh. Casparus: De conceptione et jure ventris.
11. Unrath, Joh. Casparus: De jurisdictione ecclesiastica, nobilibus imperii, vigore constitutionis de pace religionis, in districtibus.
- - - competente.

Handwritten text fragments on the left margin, including characters like 'l', 'a', and 's'.



29. 1647/H
TRINUNO ARCHIATRO FAVENTE!
DISPUTATIO MEDICA

Dogmaticorum, nec non Hermeticorum fundamentis illustrata

De
PHRENITIDE

Quam
Permissu & consensu

*Nobilissima, & Gratosissima Facultatis Me-
dicæ in illustri SALANA*

PRÆSIDE

V I R O

Nobili, Excellentissimo, atq; Experientissimo

Dn. GOTHOFREDO MOEBIO
Med. Doct. Celeberrimo. Institut. Professore
Publ. Eminentissimo, Medico Electorali Branden-
burgico, nec non Archiepiscopali Magdeburgico famigeratissimo,
Dn. Præceptore, Promotore, ac Patrono suo, summò honoris,
& observantiæ cultu æviternum prosequendo,
devenerando.

Publico Examini subjicit

GREGORIUS PHILIPPUS Klug/
Stolp. Pomer.

Habebitur in Auditorio Medico, horis consuetis

29. Januarii

J E N Æ

E chalcographæo BLASI LOBENSTEINS,
ANNO M. DC. IIII.

TRINIDAD ARCHIALE TAVENTE

DISPUTATIO MEDICA

Dogmaticorum, nec non Hermeticonum fundamentis illustrata

De

PHRENTIDE

Quam

Permissu & consentu

Nobilissimae & Graciosissimae Facultatis Medicae

Salavnae in illustri SALAVNA

Præsidentis

VIRI

Nobilis, Excellentissimi ac Experimentissimi

DR. GOTTFRIEDO MORFIO

Med. Doct. Celebratissimo. Publico Professore

Publ. Eminentissimo, Medico Electorali Barchinensi

Magistro, ac non solum in Anatomia, sed et in Chirurgia, & in

Medicina, Promotore, ac Patro suo, summo honore

& obsequante cura eximiam proponendo

debeturando

Publicae Examinae subiectis

GREGORIUS THILIPPUS

Stelp. Ponce

Magister in Medicina, & in Chirurgia

20. Januarii

LEIPZIG

In Charographio David Korbsteinii

Anno M.D.C.LII.



Συνὸ τῶ Θεῶ.

Miserandum spectaculum exhibet homo, regio rationis folio depulsus, miseriæ & imbecillitatis exemplar notabile. Res hæc ad oculum clara in melancholiâ, maniâ, & phrenitide. Sepositis istis, solam hanc impræsentiarum faciamus nostram.

THESIS I.

PHRENITIS inter eos refertur morbos, qui, ut meminit *Galen. 2. meth. 2.* à symptomate, delirio nimirum, nomen accipiunt. Dicitur eo modo, ut *Pleuritis, Nephritis*, & deducitur ἀπὸ τῶν Φρενῶν, quas νῆν καὶ Νόσῳν interpretatur *Gal. 1. prorrh. 4.* eò quod Mens sive Ratiocinatio lædatur. Hinc & amentes Φρενοφλαβέες vocantur. *Hipp. in epist. ad Damaget.* Alii ἀπὸ τῶν Φρενῶν à diaphragmate (præcordiis) deducunt, vel quod mentis sedem *Plato* & *veteres* ibi statuerent, eâque parte affectâ, vel inflammatâ, mentem lædi, & delirium sequi cernerent. *Gal. 1. de loc. affect. c. 4.* vel forsan, quòd septum cordi prætendatur, in quo mens habitare dicebat *Hipp. 1. de cord.* Idem nomen retinuere *Latini* ob vocis convenientioris inopiam, *Petrus in Nosolog. Harm. Febricitantium delirium* vocatur *Cornelio Celso l. 2. c. 1. ægritudo Sapientiæ Plin. 1. 7. histor. animal. c. 50 Arabes Karabitum* i. e. alienationem, quod mentis sequatur alienatio, vocant. *Persis Sirsen* audit, à *Sir*. caput & *Sen*, apostema. *Forestus l. 10. obs. 1.* Germanis haut in concinnè dicitur *Hirnwütten/Hauptfrancfheit.*

II. Sumitur autem GENERALITER pro quolibet delirio, ob communem vocis *Φρενῶν* acceptionem. Unde etiam Gal. lib. de comate. c. 4. propè finem ex Hipp. mente phrenitidem multis deliramenti nominibus insignivit, dicens: *Quandoq; delirabat, quandoq; amens fuit, intermisso spiritu loquutus est, desipuit, non fuit apud se, insanivit, insaniâ tenebatur, non intelligebat, & obloquebatur.* Hinc omne delirium, sive fiat sine febre, ex affecto diaphragmate; sive ex utero, hypochondriis, cum febre, sive alio modo per consensum, sive etiam per essentiam cerebri sine febre, *phrenitis* appellari potest. SPECIALITER verò solummodo phrenitis indigitatur delirium, sive desipientia, quæ est cum febre acutâ, continuâ, ut habet Hipp. l. 1. de morbis in fine, & Gal. de loc. affect. c. 4. Quæ significatio est hujus loci.

III. DEFINITUR. *Delirium continuum cum febre acutâ, ab inflammatione cerebri, membranarum, & Spirituum introducta.*

IV. GENERIS loco ponimus DELIRIUM, quòd abundè confirmant ægroti, quando in judicandis rebus aberrant, nec verum à falso, bonum à malo, turpe ab honesto, congruum ab absurdo, & quod nec tempori, nec loco convenit, distinguere valent, omnia cum contentione, rixâ, vel furore quodam agentes, nec ullum vitæ periculum in quibusdâ conatibus attendentes. *Delirium* autem quando vocamus, *functionem cerebri principum depravationem* subinnuimus ex Gal. 2. de caus. sympt. c. 7. IMAGINATIO afficitur principaliter, propriè, & per se, ob phantasmata ex intemperie cerebri, ex vehementi vaporum agitatione depravata. RATIO quum ceu incorruptibilis substantia, instrumenro corporeo non indigeat, non potest lædi, nisi per accidens, ubi vitiosè agit, conversione ad phantasmata falsa oblata. Læditur autem *semper & simul* cum phantasiâ, & vice versa: quippe quum indissolubili nexu mutuas tradant operas. Objicitur hîc exemplum Gal. de diff. sympt. c. 3. de Theophilo, Medico, cui ratio erat salva, læsâ phantasiâ: quod enim is tibicines angulum domûs, ubi decumbebat, occupâsse, assidueque sonare tûmpul-

pullare putabat, in eo imaginationem depravatam habuisse
 dicunt: quod verò eos, ut sibi molestos, & quietem turbantes
 ejicere jubebat, rationem illæsam obtinuisse affirmât. Verùm
 enim verò, estne salva hæc ratio, quæ judicat rem absentem,
 præsentem? *Theophilus* forsan musicâ delectatus si ad demul-
 cendum morbi tædium tibicines non expellendos esse dixis-
 set, rationem quoque salvam judicare potuissent. Potius
 ergò ubi falsum phantasma, falli quoque rationem judica-
 mus: quod in melancholicis pari ratione comperimus: si-
 quidem arbitrantur, & credunt imaginationes timore & tri-
 stitiâ plenas veras esse. *Mercatus l. 1. de intern. morb. curat. f. 30.*
 Quod si fortean aliquid rationi consonum interdum profe-
 rant phrenetici, in eodem tamen ferè momento satis absurdè
 loquuntur, judicium vacillans satis manifestè prodentes
MEMORIA ob varias, diversas, & multiplices imagines ex
 accidenti quoque non potest non vitari, quum ægri, etsi siti-
 ant, & lotium urgeat, & bibere, & mingere obliviscantur.
CONTINUUM est delirium ob continuam causam, cere-
 brum per essentiam affectum. Distinguitur hæc ratione deli-
 rium in phrenitide propriè dictâ, à delirio per consensum in
 aliis febribus. **FEBRIS ACUTA** quoque comes conti-
 nua ob partis nobilioris & primariæ inflamationē adest, & dif-
 fert sic à melancholia, & maniâ. Symptomaticam vulgò hanc
 vocant febrim; Sed rectius *Platerus* eam comitatam esse con-
 tendit: quū febris ista nō inflamationē cerebri, sed inflamatio
 cerebri febrim sequatur & à febrili naturâ ortum habeat.

V. Πρώτον δεκτικόν sive **SUBJECTUM** adæquatum est
 principum facultatum domicilium, cerebrum, quod afficitur
 partim ut simile secundum proprium parenchyma, partim
 ut dissimilare secundum vasa & membranas. Sanguis afflu-
 ens, partim quantitate, potissimum autem qualitate peccans,
 primò vasa cerebri replet, & tandem eorum oscula, & fines ex-
 tendit, donec facto impetu perrumpat, in membranis, ceu
 partibus solidioribus, quibus vasa inseruntur, cumuletur, tu-
 mōrque & inflammatio excitetur. Sanguis nimirum ad
 partes solidiores, & sicciore detruso facilius tumorem, quam

In loco cavernoso excudere valet. Et hoc est, quod *Galenus* 14. *method. c. 1.* innuit: *erisypelata minimè fieri in partibus intimis, sed tantum in cute.* Sanguis nimirum tenuis & biliosus elabitur facile, donec circa cutim firmetur. Idem etiam 1. *epidem. c. 73.* memoriæ reliquit, ubi scribit: *fieri deliria, quando bilis per venas cerebri excurrit: fieri autem veram phrenitidem, quando eadem bilis firmata est circa membranas.* Tandem & ipsum cerebrum, quò sanguine alatur, & spiritus animales in eo excludantur, in consensum trahitur, æstuante cruore quoque repletur, ipsamque incurrit inflammationem. Nonnulli quidem, quod *Sempioni* tribuit *Avicenna*, cerebrum, sicut & ossa, inflammationi obnoxia esse pernegant. Verum ob allatas rationes de cerebro nulli dubitamus, ad stipulantibus nobis *Mercuriali*, & *Sennerto*. Afficiuntur modò partes cerebri anteriores, modò posteriores, modò mediæ, modò simul, quæ phrenitis omnium pessima, tremula, vel hæctica nominatur.

VI. CAUSSA PROXIMA & IMMEDIATA est inflammatio cerebri, membranarumque cum accensione spirituum animalium. Hæc inflammatio quomodo generetur, ex hæcenus dictis elucescit. Incenduntur primo nimirum membranæ, & intumescunt, à quibus calor p. n. communicatur cerebro, intervenientibus obstructionibus vasorum: & sic morbus intemperiei, auctæ magnitudinis, conformationis, & solutæ unitatis, conjunctis viribus in excludendo malo hoc ovo concurrunt.

VII. Humores incensionis hujus suscitabula sunt potissimum biliosi, & calidi, partim synceri, partim pituitoso vel melancholico succo sociati. Pituita, vel melancholia si excedunt nimium, phrenitis fit mitior, & mixta. Qua in parte nobis ad stipulatur *Forestus* casu uxoris *Dialcis* apud *Gal. 3. epid. 6. 3. comm. 86.* per motus. Scoriarum sanguinis tartareæ & salinæ, per ureteres exterminandæ si retinentur & regurgitant, caput petentes, non ab omni absolvendæ sunt culpâ, quòd aquosæ phreneticorum urinæ attestantur, quæ non ex bilis, sed dictarum scoriarum raptu ad caput pallefcunt, periculum

ck

ex Hippocratis mente portendentes. Non raro malignitas aliqua humoribus istis subesse, & anguis sub herbâ latere videtur: quod non solum *Petrus ex Gal.* probare conatur; verum etiam fidissima Medicinæ magistra, experientia vadimonio suo obfirmat.

VIII. Famofissimus Chimiæ restaurator *Paracelsus* phrenitidem quoq; per Erisypelas fieri haut obscure innuit *tom. 5. in append. de vena sect. in erisypel.* Hujus verò causam modò rejicit in oppilationem tartari l. 3. *param. de orig. morb. ex tart. t. 4.* modò in oppilationem spiritus vitæ l. 1. *de viribus membr. spir. c. 3.* modò in Mercurium à calore virtutis digestivæ, exercitij vel astrorum sublimatum l. c. *param. de origin. morb. ex trib. primi princ. c. 1.* Quæ omnia Dogmaticorum fundamentis respondent, modò dextrè interpretentur. Tartareas enim concurrere obstructions, antea fuit indicatum. Spiritum quoque vitæ in cursu suo impediri, non mirum, vehiculo ejus, sanguine obstructo. Mercurium tandem, sive per humores, sive per vapores eum indigitare velimus, per varias causas externas sublimari, & anam huic affectui præbere, ex antea dictis satis clarum. Fusius hac de re differentem vide *Petræum*. Ferrarum, quod vermis piam & duram perforans matrem, phrenitidem excitet, quod apud eundem *Paracelsum* invenire licet l. 2. *de morbis vermium.*

IX. CAUSSÆ REMOTÆ ANTECEDENTES & PROCATARTICÆ sunt prædictorum humorum in corpore abundantia, temperamentum calidum, intemperies calida & sicca, vel totius, vel partium principaliorum, ætas adolefcentis, & juvenilis. *Hippocrates* quoq; 3. *aph. 30.* phrenitidem mediæ & consistentis ætatis hominibus assignat. Febres ardentes & continuæ, causæ notam non effugiunt. Sic *Comes Sfortia*, & *Jodocus Rysvichius Gorcomiensis* apud *Forestum* ex febre ardente incidunt in veram phrenitidem, & pereunt. Porro & aliæ causæ hîc nobis necessariò obveniunt, aliæ non necessariò. Hæ sunt vulnera, percussiones & contusiones capitis &c. Illæ sunt lex res non naturales in scholis nostris dictæ.

X. AER

X. AER fervore, & siccitate excedens humoresq; accendens hic malè audit. Unde & æstivo magis, quàm alio tempore exitiales hæ turbæ in rationis aulâ excitantur. Periculi res plena est, in subtili & calido aëre versatum subito in grossiorem revolvi, penetrantem per poros antea laxatos & concentrantem subtiliores vapores ad inflammationem aptos. Hoc illi attestantur qui mense Junio, Julio vel Augusto Româ Neapolin proficiscuntur, subitoq; redeunt, febribus ardentibus ex delirio correpti *Quercetan* in *Diat Polyb.* p. 143. Dies caniculares cum ob aëris fervorem, tum ex peculiari siderum influxu hujus tenentur infamiæ, canum exhibentes rabiem, quæ velut phrenitis est hominis, ut scribit *Alexander* 1. *problem.* 76. *Forestus* l. x. *observat.* 2.

XI. CIBUS & POTUS caliditatis gradu prædominans malum hoc suere solet capiti. Acria, nimis salita, aromatibusq; condita immoderatusque assumpta nocumento sunt: qualia sunt allium, cepa, nasturtium, sinapi, Zingiber, piper longum, album, nigrum, capsicum, caryophyll. &c. Cerevisiæ fortiores, Malvaticum, vinû Hispanicum aliaq;, quæ edentula vetustate *Plauto* dicuntur plenis hausta faucibus corroborant *Aristotelis* eflatum 3. *probl.* aliosq; reddunt furiosos, alios stupidos. Tale ebrietatis præmium *Forestus* l. x. *observ.* 1. in mediû adducit. Vina Hippocratica aliaq; arte facta & aromatizata amyftide bibere, parili ratione non consultum. Spiritus de vino, frumento seminibusq; parati eadem suspitione notantur: Strenui horum potatores pro brevi voluptate hanc metunt mali messem. Hinc apud *Muscovitas* aliasq; gentes ob crebriorem aquæ vitæ, & aromatum usum complures videntur phrenitici teste *Mercuriali*; qui mandragoram, hyoscyamum & inter confectiones Anacardinam simul accusat.

XII. VIGILIÆ CORPORISQ; EXERCITATIONES mediocritatis excedentes limites, fomitem subministrant. Ambulationes sub sole, ait *Avenzoar* maximè facere consueverunt phrenitides. Pessimè hic sanitati consulunt, qui exercitiis sub radiis solatibus calefacti, ut liberiùs recreentur, nudum libero exponunt aëri corpus. A sumto cibo

item

item corpore existente cacochymico exerceri, sanitatem ever-
tit, & non rarò in hanc calamitatem præcipitat.

XIII. Animus gravioribus fluctuans, & exastuans
per motionibus, solido hoc maclat infortunio homines. Mæ-
ror animæque anxietas eandem conflare solent ærumnam,
quale exemplum notat in muliere *Coiter in libell. observat. Ana.
& Chir.* Symbolum suum addunt sanguinis menstruus p. n.
retentus aliæq; consuetæ evacuationes intermissæ. Lochia
quoq; retenta idem efficiunt, quale exemplum videre licet a-
pud *Horstium*. Sanguis è naribus profluens vel criticè, vel alio
modo intempestivè cohibitus cerebri tunicis hunc nævum
affricare solet. Profusæ libidinis mancipia, mero diffluentia
suo sibi jumento malum accersunt.

XIV. DIFFERENTIÆ desumi possunt ab ipsâ formâ,
subjecto & causis. Ratione formæ Phrenitis modò est intensior,
modò remissior, cum propter diversitatem materiæ peccan-
tis, tum ob diversam cerebri partem affectam. Item alia est *ve-
ra & legitima*, quæ incipit cum febre ardente continuâ, & in-
flammatione cerebri; alia *notha & illegitima, pseudophrenitis
& paraphrenitis* dicta, orta per consensum diaphragmatis,
pleuræ, cordis, aliarumq; partium. *Ratione subjecti*, in princi-
pio membranæ tantùm; in progressu & augmento ipsum ce-
rebrum inflammatur; & hoc vel inæqualiter, & secundû par-
tem: unde Phrenitis *ἄσπετος*, tumultuaria; vel æqualiter &
secundum totum, unde Hæctica: *ἀσαφής*, obscura, & mitis
Hippocrati nominata. *Ratione causarum efficientium* alia fit à
sanguine, vel tenuiore, vel biliosiore, quæ phlegmone vera
aliis dicitur; vel à bile cum pituitâ mistâ, vel pallidâ bile, vel à
sanguine adustâ bile perfuso, quæ phrenitis gravissima &c.

XV. SIGNA DIAGNOSTICA vel *imminentem* vel
præsentem morbum ostendunt. IMMINENTEM præmon-
strant vigiliæ præter consuetudinem obvenientes, soporq;ue
diu desideratus obrepens, non quietem, sed interruptus, mo-
lestiam cum turbulentis & horrendis somniis, variâq; corpo-
ris agitatione pariens. Natura hilaribus, si affectum mœrore
animum præter consuetudinem conquerantur, mansuetisq;
levi negotio excandescantibus ingruens hæc pernicies exti-

B

me-

mescenda. Æstus hypochondriorum, vel præcordiorum, succedente dolore occipitis, syncipitis, temporum, & circa angulos oculorum interiores, intestinae seditionis conspirationem futuram in corpore annunciant. Quidam dormientes vociferantur, è lecto exsiliunt, vel propter sibilum, & tinnitum, in auribus exortum, varias vociferationes se audire exclamant. In oculis & facie apparet rubedo, oculi moventur inordinatè, quibus res oblatae duplicatae videntur. Responso ægroti aut nulla, aut tumultuosa, aut temeraria, oblivio aggressis, item frequens succedens screatio, nullo sequente sputo, urinæ primò crassæ & opacæ, deinde tenues, certi sunt hujus mali prodromi. Phrenitidem quoq; prælagit futuram *Astrologus*, si Mercurtus, qui rationi dominatur, ut & Luna, quæ cooperatur, in themata natalitio, mutuis pugnant odiis in locis dejectis, ac signis pugnantibus; imò si nullo modo se aspiciunt. Ac magis si Saturnus & Mars noctu superiores dictis planetis fuerint, & mala testimonia ex fortibus locis figuræ attulerint, & omnium maximè ex ascendente: vel si fuerint in Cancr. quod domicilium Lunæ est, aut in Tauro in quo Jupiter exaltatur, aut in Pisce quod signum Mercurii. Mars in fausto aspectu Mercurii & Lunæ premens, imprimis vel Phrenesin, vel Maniã denunciat. Pluribus hac de re videantur *Astrologorum libri*. *Chiromantia* Phrenesin quoq; prænuntiat, si Mentalis linea sit valde subtilis, & flamma, divisa in ramos, altero radicem Medii, altero Indicis tagès. Alia signa ex cõparatione linearum cum principaliorum tum minus principalium & motuum characteribus eruuntur; quæ tamen solum inclinant, non necessitant.

XVI. PRÆSENTIS & FACTÆ signa pathognomonica sunt *delirium perpetuum, febris continua & acuta*, quæ differt à melancholiã & maniã.

XVII. RATIONE SUBJECTI. Tumultuosa phrenitis indicatur, quando ægri in delirio clamitant, rixantur, convitiis circumstantes onerant, inquieti hinc inde volutantur, manibus gesticulantur, omniaq; tumultuosè agunt. *Hæctica* verò, quando à tumultuosâ quasi somnò obruti jacent, & tamen revera non dormiunt, non loquuntur, quieti manent, manus leviter moventes, idq; non sine tremore.

XVIII. RA-

XVIII. RATIONE CAUSSARUM. Inflammatio à sanguine tenuiore, vel humore ex bile & pituita misto, mitius delirium, idq; cum risu parit. A flavâ bile, graviolem desipientiam, & cum aliquo studio excitat. Ab adustâ, furorem, & gravissimam insaniam ferre solet.

XIX. RATIONE ACCIDENTIUM omnia symptomata, quibus imminens phrenitis, prædicitur, ingravescunt. Dolor capitis amplius non percipitur, urina emittitur insensibilis, vel planè obstruitur: delirium & inquietudo augentur, linguæ adest asperitas. Accedentes torvis ægrî aspiciunt oculis. In augmento morbi planè fiunt insensibiles, omnem averfantur cibum & potum, modò jacent supini, retractis ad spinam cruribus; modò lecto exsiliunt, sanosque se esse ajunt, vestimenta petentes: modò hinc inde indecore voluntantur, dirumpunt linteamina, festucas & floccos colligunt; modò risu *Democritum*, modò ploratu *Heraclitum* agunt, partesq; quas Natura tectas esse volebat, denudant. Anhelitus est amplus & rarus, pulsus durus, parvus & frequens. Fusiùs hac de re vide *Forestum*.

XX. PROGNOSTICA LONGITUDINIS. *Ratione Generis*, acutissima septimum diem rarò excurrit, qualia exempla habet *Forestus* l. x. observ. 3. Nonnulli eâ tertio die pereunt *Hipp.* 3. *epid. comm.* 3. *agr.* 4. *Avicennas* unico die extinctos narrat l. 3. *fen.* 1. *tract.* 3. *Ratione subjecti* totum cerebrum si est inflammatum, ut in *Hectica*, citò pereunt. Diutius superstites sunt, quibus vel pars cerebri, vel membranæ potissimum laborant. *Ratione cause*, à bile flavâ, vel retorridâ, efficit acutissimam, ideoq; subito interimit: à bile mixtâ cum pituitâ ad 14. nonnunquam ad 23. & 24. dies, & plures extenditur, mutato nimirum morbo ex acuto simpliciter in acutum ex decidentia, ut ex *Hipp.* 3. *epidem* videre licet. Malignitas si adest, citò terminatur.

XXI. SALUTIS. *Ratione Generis.* Quæ non peracuta, & cum risu fit, aliquam recuperandæ sanitatis spem offert. *Ratione subjecti* si pars solum modò cerebri & membranarum est inflammatâ, ut in *tumultuosa*, non semper de salute despe-

tandum. *Ratione causæ*, quò sanguis peccat purior, aut pituità mixtus, eò cum minori periculo morbus est conjunctus. *Ratione eventus*, si sequitur sudor, vel hæmorrhagia narium critica & larga, ut in juvenibus; vel fluxus alvi, ut in quibusdam senibus, spes omnis est in vado. In Sphacelū mutato morbo si tres dies superaverint, evadunt ægri, ut patet ex *Hipp. 7. aph. 50.* Pulsus quolibet tempore fortis bono animo esse jubet. *Paracelsus in lib de urin*: quando depulsum dignotione agit, addit: pulsus in mania & phrenesi somnū per tactum inducens, bonum signum. Urina tincta, cœtera si consentiant, hilarem quoq; diem promittit.

XXII. MORTIS. *Ratione Generis Gal. 1. progn.* universum Phrenitidis genus exitiale cum *Hipp.* affirmabat. Hoc tamen magis verum esse videtur de peracutâ, quæ intra diem 7. nonnunquam 3. 4. primo etiam die, ægrum jugulare potest, præprimis si malignitatis aliquid sit conjunctum. *Ratione subjecti* totum cerebrum affectum, ut in Hecticâ, abjicere hastam, ægrotantem jubet. *Ratione causæ*, retorridæ bilis vitio collecta phrenitis plerumque in ægri convalescit perniciem, & nisi maturè succurras ægroto, vitam exstinguit. *Ratione Eventus & symptomatum supervenientium.* Ad suppurationem si tendit materia in cerebro, item conversio in lethargum, coma, vel peripneumoniam, & si extrema frigeant, lethale. Hinc ait *Hipp. Quibus cerebrum sphacelo corruptum est, intra dies tres moriuntur, si verò hos superant sani fiunt. 7. aph. 50.* A peripneumonia, febre ardente, aut alio morbo, inflammatio cerebri, sanitatis spes est incerta & cœca, materia à partibus ignobilioribus ad nobiliores translata *7. aph. 12.* Stillare nares sanguinem nigrum lethale. *Forestus l. 2. observat. 6. & 10. observ. 3. in scholiis.* *Galenus* addit: rubri sanguinis stilla in morbo exitiali nunquam visa est, sed nigra semper *1. epid. comm. 3. ægrot. 1.* Rigor symptomaticus linguaque contremiscens, & stridor dentium in pessimâ phrenitide exitiosum. *Forestus* loc. citat. item *1. prorreb. comm. 1. aph. 13.* Convulsio superveniens pessimum signum *2. aph. 13.* quum nullum convulsam evasisse viderit. *Galenus t. 2. med. c. 18.* Qui manus subito

fe;

ferunt ad faciem, frustra venantur muscas, colligunt festucas, alvum & urinam pertinaciter habent suppressam, nullis aliis bonis signis apparentibus, id omne præsentarium malum. Si autem æger furore percitus subito quiescat, mors obrepit, Quæ phrenitis cum risu & fletu simul est, aliquid melancholiae cum sanguine habet, & lethalis est, juxta *Rhasen* sic dicentem: *Si æger unâ horâ ridet, & aliâ plorat, mors instat, & si in poplite ejus aliquid appareat croceum, simile fabæ dura, superveniente fluxu vel vomitu, sexto die deficiet.* Pulsus debilis diu perdurans, omen infaustum. Instantem mortem notat pulsus in temporibus fortis, in collo debilior, in manibus magis debilis, in pedibus lassior. *Paracelsus l. 2. de urinar. judiciis c. 2.* Urina alba, clara tenuis, ut & excrementa alvi albicantia, exitium denunciant. *Hipp. 4. aph. 72.* Addit *Petræus* urinam nimis tinctam, alii etiam plumbeam.

XXIII. CURATIO quomodo sit instituenda, ostendunt communia methodi medendi instrumenta INDICATIONES, præservatoria, curatoria, vitalis, PRÆSERVATORIA causas procatarticas avertendas, antecedentes motu humorum malum promoventes, revellendas, derivandas, repellendas & resolvendas, quantitate peccantes, imminuendas & evacuandas; qualitate manifesta molestiam creantes, alterandas; occultâ lædentes, occultâ virtute agentibus auxiliis extirpandas; comites obstructions referandas, & si quæ alia adsint obstacula, amolienda esse imperat. CURATORIA jacentem erigens sanitatem, ipsam inflammationem, cerebri & membranarum spirituumq; incensionem aggreditur, locium humorem discussura, intemperiem emendatura, & alteratura. VITALIS cum partium primariò affectarum, tum per consensum laborantium vires specificis corroborantibus, victuque conveniente conservandas, & restaurandas esse monet. Expectationi nostræ abundè satisfacient auxilia ex usitatis fontibus, *Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Dietâ* promanantia.

XXIV. CHIRURGA. Primo loco generosissimum auxilium sese offert VENÆ SECTIO. Hanc quidem olim

ceu noxiam damnabat *Asclepiades*, frivolis quibusdam ratio-
nibus in medium allatis, quæ videri possunt apud *Mercuria-*
lem. Aretæus & Arculanus, eam quoque in peccante bile synce-
râ dissuadent, purgationem potius exigente. Verùm inanem
metuunt metum, somniantes bilem synceram in venis, quam
tamen facile observare non licet. Somnia etiam sunt, in pec-
cante merâ bile non mittendum esse sanguinem, ne bilis ali-
mento defraudetur, prout frivole idem affirmatur de atrâ
bile. Potius *divini Senis* oraculum crebriore experien-
tiæ calculo firmatum attendamus, quando l. 4. de *acutis* scri-
bit: *in omni morbo acuto necessariam esse sanguinis missionem, si*
adsint symptomata feva, item *Gal. 13. meth. 21.* in phrenitide o-
ptimum auxilium esse sanguinem detrahere ait. Hoc maxima
pars saniorum medicorum hactenus observarunt, ut testatum
faciunt eorundem consilia, & curationes.

XXV. Quænam sit aperienda vena, non omnes unum
idemq; sentire videntur. *Aëtius, Donatus & Gal. 4. de ratione*
victus in acutis medianam; *Rhases, Avicenna & Jacchinus* ce-
phalicam, *Gvainerius* basilicam; *Trallianus* frontalem, alii sa-
phenam, venas nasi, & sub linguâ commendant. Quamvis au-
tem hæ venæ omnes interdum locum habere queant: scien-
dum tamen, quod propter revulsionem, vel mediana, vel basi-
lica, ubi plethora adest, sit secanda; preprimis si major pars
sanguinis adhuc est in fluxu, cerebrumq; nondum nimis re-
plevit; si verò fluxus jam duret per aliquot dies, cerebrum-
que cruore redundet, cephalica illicò percutienda. Quamvis
quidem *Vesalius, Baubinus, Gabriel Fallopius, Riolanus, Bar-*
tholinus, & alii hunc venarum in brachiis selectum non ma-
gni æstiment, ob communem ab axillari ortum; cephalica ta-
men ob ramulum à jugulari prodeuntem ab *Aquapendente*
observatum, manifestius simul à capite revellere potest. Huic
sententiæ favere videtur *Gal.* quando lib. de *curat per ven. sect.*
c. 16. & 17. itē 2. *Acut. 19.* hujus venæ lectionē in omnib; affectib;
supra jugulū infestantibus proficuā esse affirmat. Mensiū vel
hemorrhoidū obstructio lochiorumq; retentio si est in cul-
pa, saphena aperiatur. Postea factâ cōveniente purgatione, ad
de-

derivandum frontalis eligatur, *Tralliani* experimentis nobilitata. *Diocles* ranulam sub linguâ chirurgis monstrabat. Commodiorem sanguini egressum è venis narium internis ipsa natura in crisi sæpenumerò ostendit. Hanc sequutus *Zacharius*, multis, ut testatur, ægrotis & vitam & salutem reddidit. Aperiuntur hæ venæ, vel lancettæ, vel pennæ letæq; equinæ stimulo, & hirudinibus, ut habet *Mercurialis* Folia millefolij affricu idem efficient. Hoc tamen *Massaria* suasu perpetuò memoriâ est tenendum: venas cerebrò proximiores nunquã fore incidendas, nisi post sectam in cubito venam, & universi corporis vacuationem: Statim autem in principio, quò citius, eò melius, vel primo etiam die, sanguinem extrahas, nec infausam lunæ combustionem, nec sinistrum aliorum Planetarum aspectum respiciens, ne illud, quod imperito cuidam Medico, teste *Gvainerio*, contingat; qui omissâ sanguinis in primo morbi insultu detractione, robustum phreniticum cãtando ad vitam æternam transmisit. Nimirum hic tardare *Hippocratis* suasu, malum. Primus, vel secundus dies, si obastantium incuriam ipsiusq; ægroti oscitantiam non fuerit observatus; etiam post tertium vena secanda, modò vires adhuc sint fortes, nec juxta *Jacchinum* alius morbus ex permutatione sequatur proflusq; sit lethalis.

XXVI. Quantum sit mittendum, edocebunt morbi vehementia, robur corporis, natura, ætas, & ambientis aëris conditio. In principio convenit copiosior cruoris effluxus, etiam venâ in die bis, vel in eodem, vel in utroq; brachio apertâ. In magnâ plenitudine, ætate non repugnante, vel libra vividi nectaris, ut affirmant autores, evocata nocumento non erit. In aliorum humorum admixtione, & ubi caput naturâ est debile, syncopevè simul exanimat ægrotum, præfixos mediocritatis limites non temerè transcêdas, devitans inconsideratam *Arabum* quorundam audaciam, non nisi fatigante animo nobilissimi hujus succi profusionem terminantem. Suademus tamen quantitatem emissi cruoris potius vasculorum capacitate, quàm pondere, vel librâ esse æstimandam: quum peccet in suis vas, non quâ gravis, sed qua replens

plens est; nec sit idem pondus in quovis, ut bene monet *Primerosius*. Quibus & illud addimus, quod sanguis in saphenæ, vel salvatellæ reclusionem, aquæ mixtus, non possit aliter, nisi receptaculi ambitu mensurari, exactum librarum, vel Unciarum æstimium subterfugiens. Ægrotus præterea diligenter custodiendus, vel ligamentis refrenandus, ne sigillatam cruoris thecam temerarius referat. A somno post venæ sectionem obrepente non sunt turbandi ægroti, alias molestissimis vigiliis morbi decursu excrucianti.

XXVII. Venæ sectionem si ob quasdam circumstantias adhibere non liceat, HIRUDINES temporibus, post aures, vel ipsis etiam auriculis cum fructu affiguntur. *Itali* in sævissimis illis deliriis, cum febre ardentissimâ obvenientibus iis, qui repudiato amicorum consilio iter, mense Junio, Julio & Augusto Româ Neapolin instituunt, & statim redeunt; magnam ponunt fiduciam, in CAVTERIIS, si cum potentialibus, tum actualibus cutis capitis tangatur, aut CREBRIS INCISURIS scalpatur, omnibusq; aliis rationibus ad vapores illos ardentes & incensos è capite exhalatione dissipandos aperiatur. Vide sis *Quercetanus in Diatet: Polyb. cap de aère*. Ad eundem scopum collimare videtur *Ludovicus Mercatus*, qui per capitis suturas ferventes vapores evocaturus, summo capiti CUCURBITULAS affigere, & si rubor, & tumor appareat, cutem scarificare consultissimum esse censet. Hæ quoque cum scarificatione iteratâ & profundâ primò partibus inferioribus, & exinde superioribus applicari possunt. *Avicenna* easdem collo cum scarif. adhibere non veretur. LIGATURÆ & VINCULA extremis corporis partibus, brachiis, & pedibus injecta, item FRICTIONES cum sale & aceto non omni carebunt commodo, VESICANTIA cum ægri levamine aliquoties nuchæ, & brachiis agglutinavimus densamq; capillorum sylvam in vertice ad promovendum fuliginum exitum, topicisq; faciliorem parandum aditum cædendam curavimus. Urinam fortiter suppressam medicamentis, nil proficientibus, hastulâ petroselini, junco viridi, aut catheters educere jubet *Mercatus*.

XXVIII.

XXVIII. PHARMACIA depromit **LENIENTIA**,
 quæ vel ante venæ sectionem, vel statim post eam sunt exhi-
 benda; quò primis viis evacuatis sequentia medicamenta eò
 feliciori successu virtutē suā exserere valeāt. Cōveniūt ea, quæ
 simul humorum fervorem attemperant, ut sunt sirup: rosar.
 & violar. soluo: cassia, tamarandi, diaprun. simplex lenit.:
 cum sero caprino, admixtis crystallis ꝑ violar. Ole rosarum
 vel cichorii &c. Palmam obtinent pilulæ laxativæ, quarum
 compositionem sibi & amicis meritò relervat *celeberrimus Spa-*
girus Dn. D. Glassius, Archiater Ducalis Saxo-Gothanus. Qui-
 bus hæ ignotæ, pilulas de tribus substituere possunt. **CLY-**
STERIBUS, quos præter meritum è medentum schola rele-
 gare conatur *Helmont*, multum tribuimus: quum habeant
 locum in summo virium lapsu, etiam in summo morbi vi-
 gore, item ante, & post fortiolem purgationem, quo partim
 admonitum *Hipp. 7. apb. 22.* alvus fluida reddatur, partim
 humores in intestinis à purgante relictis detergantur. Materia
 pro hisce concinnandis seligatur humectandi & refrigerandi
 qualitate prædita, æstus interno quodammodo respondens,
 ut:

R̄ Fol. malv.
 violar.
 lactuc.
 bet.
 parietar. an. Mj.
 Flor. chamem.
 melior.
 nymph. an. pj.
 Prun. Damasc. no. x.

Coq. in aqu. bord. vel jusculo
 carn. vervec.
 Colat. R̄ l̄bj.
 adde Cass. pro Clyst.
 sir. rosar. solut. an. ʒj.
 Ol. violar. ʒ. ʒ.
 Salis gemm. ʒ. ʒ.
 M. F. Clyster.

Si non solùm laxare primas vias, verùm etiam cacochy-
 miam in inferiore ventre restagnantem simul purgare, mens
 est animi, fortiora purgantia pro diversitate lædentis humo-
 ris clysmati misceri queunt.

XXIX. PRÆPARANTIA & DIGERENTIA essent
 subjungenda, *πέποινα γδ φαρμακῶν καὶ κινέειν μὴ ὤμα, 1. apb.*
 22. verùm cum morbus hic sit acutus, & non rarò peracutus,
 celeriorq; ejusdem motus, coctionem non expectet, & ma-
 C teria

geria plerumque turgeat, ad animum revocandus 4. *apb.* 10.
Φαρμακὸν ἐν τοῖσι λήν ὀξείαν, ἢν ὀργὰ ἀνθρημερῶν, ἡρονίξιν γδ
ἐν τοῖσι τοῖς τοῖσι κανόν. Præterea quum potissimum peccet bi-
 lis, eam absq; præparatione educendam esse, cum *Fuchsio in*
Pandox. affirmamus. Deinde si major cacochymia, eaq; tur-
 geat, parcius quidem sanguis mittendus, purgatio verò eò ex-
 actior, & quidem statim à M. S. instituenda; quia adversus
 morbum celerrimum, & acutissimum pugnandum est etiam
 celeriter, & medicamentis vehementioribus. *Merc.* f. 223. Et
 quicquid *Alexander Trallianus* narrat, se in anginâ eodem
 die, & misisse sanguinem, & corpus purgâsse; idem hîc non
 naucifaciendum. Eligenda tamen sunt non nimis calida, ob-
 servandumq; quod *Gal.* 1. 1. κατ. τόπ. c. 2. inculcat: in omni ni-
 mirum capitis morbo phlegmagoga esse adjungenda. Si verò
 præcessit sanguinis copia major ejusq; missio largior, mitio-
 ra sequantur purgantia. Materia horum est satis nota.

Rx Rad. cichor. ℥ij
Rhab. opt. ℥ij
agar. albiss. ℥j
Flor. cordial. an P. j
Cinamom. spic, an. ℥j
Infunde in aq. endiv.
Rx colatur. ℥iij
in quâ dissolve Electuar.
rosat. Mesue. ℥ij
Colentur iterum, adde
pulp. tamarind.
sir. ros. solut. an. ℥℞
Crem ☿ ℥℞
M. F. Potio.
Vel Rx. Electuar. de suc. rosar. ℥ij
diaprun. solut. ℥i℞
diaphenic. ℥ij
Diagrid. gr. ij cryst. ☿ ℥℞
Aq. beton. lactuc. fumar.
bugloss an ℥j.
M. F. Potus.

Rx Conserv. rosar. ℥iij
pulp. gial. resinof.
Crem. ☿ an. ℥℞
Diagrid. gr. V.
sir. viol. q. s.
M. F. Electuar.
Superbibatur vehiculū cōveniēs
Rx. Pil. aggreg. ℥i℞
de Rhab. ℥j
resin. scamm.
℞lis cichor. an. gr. iij
Misce F. Pilul. superbibatur
haustus seri caprini.
Rx. Extract. Rhab. ℥℞
agar. gr. V.
fl. antim. purg. gr. iij
℞l. ros. gr. ii
M. F. Pilul.

Qua-

Qualis consensus cerebri & intestinorum sit, docuit
*Hipp. 4. aph. 28. Quibus dejectiones sunt biliosa, super venientia
surditate cessant, & contra, quibus surditas adest, biliosa dejectio-
ne cessat: Alvim itaq; continuo laxam hic quoq; servabimus,
cerebrum laborans non nihil levaturi. Quod si æger, ut fieri
solet, medicamentum respuat, astu persuadendus, omnique
alio potu remoto, potio purgans cantharo, è quo bibere
consuetus erat, in fundenda, quæ urgente siti promptè offe-
renda.*

XXX. VOMITORIA à nonnullis hic etiam præscri-
buntur; sed eadem nos meritò excludimus, memores illius
*Oribasii, quando inquit: Revulsio facienda est, deorsum
quidem, ubi succi ad superiora, sursum ubi ad suprema
vergunt.*

XXXI. SUDORIFERA. De hisce altum silentium est
apud autores abhorrentes dubio procul ab eorum usu in
morbo calidissimo, & bilioso. Verùm si consideres, quare alias
in febribus acutis, ardentibus & putridis, maxima fere recu-
perandæ sanitatis spes in sudoriferis ponatur, non potest,
quin mireris, quod hic solummodò negligantur? Objicias
quidem, disparem esse rationem dictarum febrium, & hujus:
quippe cujus vitium non tam in massâ sanguineâ, quàm in in-
flammati membranâ cerebri hæreat, sudoriferis non magis
exasperandis. At respondemus, quod idem olim *veteres* in
pleuritide, seu in inflammatâ plevrâ religiosè observârunt, &
sudorifera, ceu noxia rejecerint. Didicêre tamen *Recentiores*
meritò cautiùs mercari, non sine insigni fructu ad copiosos
sudores moventia cum ex vegetabilium, tum mineralium fa-
miliâ prodeuntia remedia in pleuritide confugientes: quibus
tantùm tribuunt, ut quædam ex iis SPECIFICORUM nomi-
ne dignari haut vereantur. Clariore luce res radiat in *Erisype-
late* sive *Rosâ* vulgò dictâ, quæ commodissimè sudoriferis sa-
natur. At quum hic affectus, teste *Paracelso, Petreo, & aliis*, ni-
hil aliud sit, quàm phlegmone, vel erisypelas meningum ce-
rebri, quare sudores scientia, ulterius reformidanda? Tandem
unanimes omnium ore asseveratur phrenitidem salutarem,

crisi, vel hæmorrhagiâ narium, vel sudoribus terminari. Si itaq; in hac crisi, sudor, vel ob vires, vigiliis morbiq; vehementiâ nimis labefactatas, aut ob alia obstacula non sufficienter promanaret, essetne medicus fidelis naturæ minister, qualem se profitetur, si labascentem sub onere naturam sudoriferis non iuvaret? essetne piaculum, si etiam alio tempore ante crism, sudorem, ut in Erisypelate, & pleuritide, ad discutendos vapores & reserandas obstructions evocaret? taceamus phrenitidem à febre malignâ, perechiali, vel aliâ exortam, quæ præ cæteris sudoriferorum virtutem desiderat. Existimamus ergò sudorifera hîc æquè, ac in erisypelate, & pleuritide exhibenda esse. Et quicquid *Mercatus* de venis narium ait: arte per illas sectas phrenitidem sanari posse, quum natura judicatoriè per easdem dictum morbum solvat; idem de sudoriferis constanter affirmamus. Eligenda autem sunt temperata, nec nimis calida, ut sunt C. C. C. alces, os. de cord. C. lap. canç. lign. visci quern. terra sigill. lapis Bez. Bez. Olare, miner. Antim. diaph. M. I. *Paracelsi* vera sp. ♁ sp. terræ sigillatæ, trium mineral, & alia. Possunt propinari in vehiculis convenientibus, admixtis specificis, cephalicis &c.

℞. C. C. phil. præp. ℥j

Bez. Olar. gr. vi

Aq. flor. sambuc. ℥ij

ros. ℥j

fix acetos. cit. ℥ss

M. D.

℞. Aq. Carduiben. ℥ij

pap. eruat. ℥j

M. s. ℥j

Sir. violar. ℥ss

M. D.

XXXII. Æstus vehemens sitisq; quum ægrotis facessant negotium, & iis refrigerantibus & humectantibus occurrendum, locoq; potûs consueti decocta vel aq. destillatæ decenter infusæ offerendæ. Confici queunt ex aceto sella, flor. ros. borrag. bugloss, violar. nymph. fruct: berb: ribes, lucco citri; quibus addi possunt aperientia, incidentia, discutientia, tartarumque & urinam, quæ quandoq; suprimitur; moventia: conducunt sp. ☉ s. & philof. ☉ ☿ ☉ violati vel rotati.

℞ Rad.

Rx. Rad. scorzon.

cichor. an. ℥ij

fol. acetos. Mj

Hord. mundi Mij

rasur. C. C. ℥j

Coq. in s. q. aq. font.

Colatur. fort. express.

add. sp. ☉ q. s.

ad gratum saporem, infunde
cum ros. rubr.

Cola. parumper edulcora cum
sir. conven.

Rx. Aq. acetos. ℞j

scorzon. ℥ij

rosar. ℥j

sir acetosel. ℥ij

sp. ☉. viol. q. s.

ad gratum saporem

M. D. pro potu.

Vere & astate serum caprinum

concedi potest, vel per se, vel plā-

tis cōvenientibus infusum, à quo
pars caseosa succo citri fuit se-

questratum.

XXXIII. Conservis curiosè compositis, multis Jula-
piis, & sirupis, aliisq; rebus nimis saccharatis aegroti non re-
ferciendi. Palato enim hac ratione inservituri non levia con-
flabimus incommoda, saccharo facili negotio in bilem abe-
unte, sitim nimium quantum auctam conspicientes, oleum-
que camino addentes. Parcius itaq; sirupis portiones tempe-
rentur, confectis quidem non è saccharo ignobiliore, ut per-
nitiosa quorundam Pharmacopæorum consuetudo; sed è sac-
charo albissimo summoq; depurato. Inculcavit hoc dudum
Matthias de gradibus part. i. pract. c. i. In morbis cerebri calidis
& omninò omnibus morbis, in quibus refrigeratione opus est, sac-
charo, non nisi albissimo utendum est, quum saccharum minus pu-
rum & defecatum multum unctuosum vaporabilis & calidi partici-
pet. Sed hæc obiter.

XXXIV. Emulsiones de seminibus frig. maj & min.
cum cordialibus mag. perl. corall. confect. alkerm. interpo-
nendæ. Aurum foliatum pulveribus, conservis, vel aquis cor-
dialibus, qui immiscet, vel in jusculis coquunt, vel ignitum
in potu extinguunt, proq; corroborante cordiali in morbis
deprædicant; fumos vendunt, & nil nisi intestinorum parie-
tes deaurare satagunt, non considerantes, compactam auri
substantiam omnem & caloris & fermentationis actionem,
qualis quidem viget in ventriculo, detrectantem. Officula
cerasorum & mespil: imò pisa integra, vel etiam minutim

C 3

fracta

fracta impunè demittit ventriculis: regi ergò metallorum quomodo erit destruendo, infinitis parasangis alia soliditate vincenti. Ignobilia quidem metalla in primâ quodammodo alterantur fermentatione, facile-resolubili donata materiâ, quæ vel tempestatis fracta injuriis perit. At cum sole metallico res aliter se habet, qui nisi chemicâ analysi fuerit reclusus, omnem eludit expectationem firmâq; multorum promissa frustratur.

XXXV. VIGILIE intolerabili cruciatu invalescentes, narcoticis, & opiatis opprimendæ, ut sem. papav. alb. Laudan. opiato Crollij Δ narcot: Θ li & c. Profunt etiam unguenta narcotica temporibus illita, ut & lotiones extremorum, quorum formulis inter externa locus reservatur. Hoc tamen de opiatis cum ratione tanquam æquissimâ lancæ perpendendum, ne intempestivè, & viribus jam pene sepultis, usurpentur, & pro somno, ejus frater, mors, accersatur, malumvè inveternum abeat. Tutius in tali casu ea clysteribus miscentur.

XXXVI. CORROBORANTIA cerebrum non post principia collocanda, qualia sunt tinctura Lunæ, essentia topazii, saphiri, smaragdi, mag. & galreta, cranij humani, sp. cerebri & sanguinis human. cum aq. cordiali vel cephal. parata, possunt dari in aq. specificis cum sp. Θ volat. & striato, à *Pacracelso* in morbis cerebri dilaudato.

XXXVII. Obstructio mensium, lochiorum, hæmorrhoidum, item contusiones, lapsus aliaq; incommoda, si præcesserint, & in excitando hoc affectu, auxilium tulerint; & iis convenientibus remediis occurrendum.

XXXVIII. EXTERNA variis scopis inservient, partim repellendo, partim discutiendo, quietemq; invitando. *Repellentia* statim in principio à secula venâ ope sua præstò sint, qualia sunt oxyrrhodina ex oleo rosar: violar. nymph. aq. rosar. Nymph. solan. plantag. papav. & c. temperata paucillo aceti vel sp. ther. camph. pro faciliore penetratione, mitigatione doloris, ac ulterioris affluxus prohibitione: vel fiat cataplasma de flor. rosar. viol. nymph. sem. papav. alb. lactuc. melilot. camph. fol. salicis, & capreolis vitis cum farin. hor-

hordei, & pauco aceto. Placentæ, quas vulgus post destillationem aquæ rosar. habet, imbutæ aquâ propriâ, & aceto non incommodè offeruntur. Sunt hæc imponenda fronti, temporibus, syncipiti, vertici, modò tepida, modò frigida, prout ætas, tempus anniq; constitutio, inflammationisq; circumstantia illud requirêt. Ubi copiosior capillorū in capite seges ea detōdēda, ut aditō medicamentis sit patētior, mutandis, quoties incaluerint. Aceti portio semper sit minor, propter vigilias, quas provocare solet. Si inflammatio ad cutem, & versus capitis partes exteriores vergere videatur, à repellentibus, præsertim fortioribus abstinendum; ne materia ad cerebrum repulsa gravius malum inducat. Refrigeratio, & expulsio hæc, tres dies non excurrat. *Vidimus enim quosdam, quos medici immodicâ refrigeratione perduxerunt in veternum, lethargicos periisse, ait Christophorus à Vega l. 3. c. 6. Art. med. Parens lib. introduct. ad Chirurg. c. 23.* suadet subitam ægroti in cuppam, frigidâ plenam præcipationem, & in caput pro volutionem; quo repentino isto illapsu, & forti timore fiat translatio materiæ à partibus nobilioribus ad ignobiliores, idq; probat partim exemplo cujusdam fabri lignarij; qui phreniticus per fenestrâ superioris tabulati se in profluentē præcipitavit, statimq; fluctibus iterū ereptus mētis integritati fuit restitutus; partim aquas ex canis rabidi morsu reformidantiū curatione, quos æquè subita hæc in aquam immersio sanat.

XXXIX. Et quia vigilie præ cæteris urgere consueverunt, hisce statim ab initio somnum conciliantia addenda, in forma epithemat. inunction. lotionum, cū in capite, tum in brachiis, manibus, pedibus, cruribus.

<p>Rx Fol. par. lactuc. salic. an. Mij Flor. rosar. alb. nymph. ā. Mj violar. melil. an. Mf. Cap. papav. cum sem. no. x. Coq. in f. q. aq. Spongia hoc decocto tepido imbuta, capiti applicetur, eodemq; extrema abluantur, postea sequēs unguentū applicetur.</p>	<p>Rx. Ol. violar. nymph. Unguent popul. ana. ℥ij croci opij Ol. nuc. mosch. exp. ana gr. iij M. F. Unguentum, quo frons & tempora inungantur.</p>
--	---

Qua

XL. In morbi progressu repellentibus primò parùm
diresolventibus, & quo morbus propiùs ad declinationem ac-
cedit, eò plus addatur, & tandem in ipsâ declinatione, sola
usurpentur resolventia; qualia sunt chamæmel, aneth, olea; &
ex his expressione parata. Unguentum Alabastrinum aliis
commendant. Alii quoq; suturæ coronali columbarum
pulos, vel catulos, per mediũ dissectos, vel pulmones omē-
tavé agnorū, vervecis, vituli, vel suis adhuc calētia exhibent.

XLI. Si materia tendit ad suppurationem, emplastra
convenientia aut embroch. ex aquâ tepidâ & oleo communi
cum aquâ decoctionis malvæ, alth. & similibus imponunt.
Verùm si eo res pervenit, omnis spes est in angusto, & vix æ-
grotus lætum sibi promittere poterit diem.

XLII. Et quia vehemens æstus non in cerebro solùm,
sed in toto dominatur corpore; cordis epatisq; regioni epi-
themata refrigerantia nonnulli præscribunt. Ea hic sunt eli-
genda, quæ vel humiditate, vel vaporibus alterare & penetrare
queunt. Hinc sicca, ut os de cord. C. & alia, quæ à quibusdam
immiscentur, rejicimus.

XLIII. Testes, quem consensum cum cerebro habe-
ant, elucescit ex Hipp. sect. 5. l. 2. Epid. Vocis gracilitatem varix
solvit ad sinistrum ad dextrum testem; aliisq; horum altero vix
potest, ut solvatur. Hinc etiam hic, laborante cerebro, urinæ
sequitur suppressio, quam licet interdum ægri velint, redde-
re tamen nequeunt. Non incongruum proinde erit, & hisce,
ut & regioni vesicæ epithemata parare; quod fieri potest emol-
lientibus, vel calefacientibus, ac modicè partes laxandi vires
obtinētib; ut sunt inunctio ex ol. amygdal. dulc. sesam.
lumbricorum, scorpionum & pinguedine cuniculi, item fo-
menta ex decocto sem. lini, fænugræci, malv. alth. melil. pa-
rietar. quæ partim urinam revocabunt, partim quodammo-
dò à capite vapores revellent. PEDIBUS quoq; *Forestus l. x.*
observ. 2. columbas vivas & calentes ad diversionem in-
stituendam supponebat. ODORAMENTA ex rosis vio-
lis aliisque humectantibus spiritusq; refocillantibus non
negligenda.

XLIV.

XLIV. INTERCIPIENTIA, licet ab aliis negligantur, maximi tamen momenti esse existimamus. Alias in hæmorrhagia narium talia colli lateribus, ubi jugulares venæ & arteriæ, per quas sanguis ad caput fluit, ascendunt, commodè applicantur. In hoc ergò affectu quare non quoq; locum habere queant, non videmus. Eligi potest. aq. sperniolæ cum camph. & sacch. Satur. vel bolus cum album: ovi, aceto, & similibus. Conveniunt solùm in principio, durante adhuc humorum ad caput affluxu.

XLV. DIÆTA, AER, in quo lectulo est affixus ægrotus, sit temperatè frigidus. Nimis enim frigidus transpirationem prohibet, calidior æstus cerebri auget. In febre tamen malignâ, si simul petechiæ efflorescant; calidior aëris status potior habendus, ne eæ repercussæ interitum minentur. Si flagrante Sirio, aut in alio calidioris aëris excessu decumbat, locus corrigatur stratis in pavimento plantis, aut gramine rore adhuc madente, foliis alni, salicis, vitis, flor. rosor. violar. nymph. lil. albor. til. lil. convall. lectulus coronetur ramulis betulæ, quercûs, salicis, tiliæ &c. Vel aquâ frigidâ, & flabellis aër tēperetur & vētiletur. Eligendus locus à radiis solaribus, & omni foetoris inquinamēto liber, nō nihil tenebri-cosus, variis picturis, quibus phantasia magis irritetur, nō expolitus. Noxius etiam est aspectus rerum nimis lucidarum, & aromatum aliarumq; rerum acriorum vapor.

XLVI. CIBI exhibeantur frigefaciendi virtute grati, ut hordeata. *Alexander Trallianus* jubet, ut ex oleribus edant intybum & malvam coctam, etiam crudam, si caliditas nimia vigeat. Lactuca expetentibus non deneganda. Acetosæ folia cum butyro cocta, vel aliis cibus mista utilem dabunt cibum. Portulaca, sem. frig. maj. succus uvarum imaturarum, citri, ceras, ribes, berber. alimentis immiscenda. Ægroti ad cibos solidiores sumendos nequaquam sunt urgendi, ut perperam à circumstantibus interdum fieri solet. Cedro digna sunt *Hippocratis* verba. *Si quis cibum febricitanti dederit, ut sano robur, sic laboranti morbus 2. aph. 65. Item ubi morbus peracutus est, & statim extremos labores habet, extremè tenuissimo vi-*

D

Est

Et utendum est. 1. aph. 7. Nimirum natura à labore & luctu cum morbo, non ad cibi crudioris, & copiosioris coctionem revocanda. Aromata è ciborum condimentis exterminanda. Dulcia, & saccharata omnia, bilem sitimq; augentia, parcissimâ manu ministranda.

XLVII. POTUS sit aqua hordei cum plantis refrigerata, vel interdum cum aq. hordei & semini frig. maj. & papav. alb. fiat emulsio. Julepus ex aq. frag. sine vino, endiv. acetos. violar, cum vino granat. succo ribes. interdum propinetur. Cerevisia hordeata, tenuis, imprimis si laxandi virtute prædita sit, etiam concedi potest. *Avicennas* commendat acetum cum aq. multâ mistum, si æger habeat sana viscera, sit sanguineus naturâ, & assuetus aquam frigidam bibere. Chymici suas acidulas, egregium artis specimen, non sine applausu in scenam producant. Valeat vinum. Prodest tamen *ὄλιζοφόρον*, natura criticè sudorem instituyente. *Lac præbere capite dolentibus, febriculosis & striculosis, malum s. aph. 64.* Serum autem caprinum, ut supra dictum, offerendum, circumspectaq; diætæ ratione ad omnia symptomatum momenta, incumbendum.

XLVIII. SOMNUS & QUIES omni arte provocanda. Nihil motus, aut ministrorum manibus, aut vinculis infringendus. Somnum etiam si viderit ægrotus, nunquam tamen solus relinquendus; ne derepente experge factus foras erumpens, vel de scalis præcipitem se det, vel per fenestras se proruat impotens, vitæ periculum incursum. Obiit olim ex hac incuriâ consulis matrona quædam puerpera phrenitica *Hagæ* per fenestram prolapsa. Alii in custoditi aquis sese immerferunt, qualia exempla referunt *Schenkius, & Forensius.*

XLIX. ANIMI MOTUS effrenati & prodigiosi omnes ad mediocritatem reducendi; quia ut habet *Plautus in Panulo*

Modus omnibus in rebus optimum est habitus,

Nimia omnia pimum exhibent negotium hominibus ex se

Phre-

Phrenitici quidā ex alto præcipitati, quomodo *terroris* habitanei beneficiō extemplō restituti fuerint, refert *Schenekius* 1. *observ.* 96. Verūm hæc curandi ratio periculi plena, non facile est imitanda, tristem eventum, qui sequi possit ante oculos ponenti. Tristior æger suavi musicā demulciendus, omnibusq; modis ad hilaritatem, disponendus.

L. ALVUS si suo non respondet officio, partim dietā, partim clysteribus, & suppositoriis emollienda, & juvanda. Sanguis è naribus stillans criticè non repellendus, sudorq; ita eveniens omni modo promovendus. Indusia aliæque linteamina sudore madentia sæpiùs mutanda suademus, vanam vulgi ineptā superstitione hoc timentis consuetudinem, detestantes. Transpiratio debet esse libera, conatusque naturæ in expulsionem fuliginum juvandus, non anili hæc sapientiā sufflaminandus. Indicarunt hunc errorem *Hollerius* & *Rondeletius*, quibus adstipulatur *Primerosius*. Mensium & hæmorrhoidum fluxus si superveniat; & is ceu salutare remedium facilitandus, omniaq; quæ ad ægri salutem spectare videntur, probè attendenda, & procuranda.

Coetera Cura DEI.

COROLLARIA.

An facultates principes sedibus distinguantur, ita ut *imaginatio* in anteriore cerebri parte, *memoria* in posteriore habitet, *ratio* verò mediâ dominetur in aulâ? N.

An pilulæ commodiùs, quàm aliæ medicamentorum formulæ caput evacuent? N.

In

130
IN laudem reputo, KLUGI, quod gloria mentem
summa petens stimulet, generosum & suscitet ignem;
Omne dum fausto sequeris vestigia magni
patris, cui quondam sacro successus amore
credidit ipse suas artes inventor Apollo:
Letis auspiciis & publica pulpita scandis.
Maie animo studiisque istis: clarescere perge,
vivifica veteres ceras, virtutis avite
amulus ut clueas & felix arte medendi.

KLUGIO

Diversorum Principum, & Baronum Ar-
chiatri PARENTIS, bonæ indolis &
spei filio de conatibus hisce egregiis
gratulatur, studiisque ejus optatos ap-
precatur progressus.

GUERNERUS ROLFINCK Medicinæ
Doctor & Professor.

CHare agnate, Theses, quæ sit curanda Phrenitis
cum scribis doctas, sic mea musa canit.
Mundi nunc furibundi sat manifesta Phrenitis
Ejus sed paucis apta medela patet.
Miles applicat egregie evacuantia; verum
evacuat bulgas, nulla phrenitis abit
In plures dedit, ac dabit hæc contagio labem,
quæ mox precipites arm barathra petent.
Sed ruat! haut sit de Mundo, qui vivit in ipso;
Pura sit & constans mens in amore DEI!

De

PHRENITIDE

Eruditissimè dissertanti Agnato suo aman-
tissimo testandi adfectus c. h. s.

M. Elias Himmel.


F I N I S.


ULB Halle 3
003 260 119



WOM







29. 1647/1
1
TRINUNO ARCHIATRO FAVENTE!
DISPUTATIO MEDICA
Dogmaticorum, nec non Hermeticorum fundamentis illustrata
De
PHRENITIDE

Quam
Permissu & consensu
*Nobilissima, & Gratosissima Facultatis Me-
dicæ in illustri SALANA*

PRÆSIDE

V I R O

Nobili, Excellentissimo, atq; Experientissimo

Dn. GOTHOFREDO MOEBIO
Med. Doct. Celeberrimo. Institut. Professore
Publ. Eminentissimo, Medico Electorali Branden-
burgico, nec non Archiepiscopali Magdeburgico famigeratissimo,
Dn. Præceptore, Promotore, ac Patrono suo, summò honoris,
& observantiæ cultu æviternum prosequendo,
devenerando.

Publico Examini subjicit

GREGORIUS PHILIPPUS Klug/
Stolp. Pomer.

Habebitur in Auditorio Medico, horis consuetis,

29. Januarii

J E N Æ

E chalcographéo BLASI LOBENSTEINS,
ANNO M.DC.III.